



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Praxis Episcopalis

In Qva Episcoporum Non Tantvm, Eorumqve Vicariorum munus; sed
Parochorum etiam & conscientiarum directorium concernentium casuum
ac dubiorum indies occurrentium Resolvtiones ... quàm brevissimè
continentur

Zerola, Tommaso

Coloniae Agrippinae, 1680

Mancipia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10447

orationibus, canticis spiritualibus, insufflationibus, inclinationibus humorum, humilitate pedum, hæc omnia esse sunt, quæ nos reficiunt, vide D. Aug. de Symb. Cathol. lib. 2. c. 2. tom. 9.

Abeant ergo pestiferi hæretici, qui novi recentesque venerunt, quos non coluerunt patres eorum, qui conantur auferre ritus, & ceremonias ab Ecclesia Dei, contra Dominum, & Christum ejus, Spiritum sanctum, vetus, & novum testamentum, Apostolos, summos Pontifices, sacra Concilia, contra religionis naturam, & consuetudinem hominum, & sententias omnium: insurgat præter cæteros, sacrum Concil. Trid. de ceremonijs in Sacramentis administrandis, sess. 7. Can. ult. de Sacram. in communi. de ceremonijs, & diversis actibus in Missæ sacrificio, sess. 22. can. 5. & cap. 7. in Sacramento ordinis, sess. 23. Can. 5. in Sacramento matrimonij, sess. 24. Can. 11. de ceremonijs, & ritibus circa Sanctorum reliquias, sess. 25. in initio, vide Pignium, lib. 1. Hierar. Eccles. cap. ult. Cather. 2. clave Scripturæ, Bunderium in compendio concertationis, tit. 27. Brunum, li. de cerem. confessio. Polon. cap. 86. & multa Concilia provincialia, & præcipue Beneventanum, tit. de divin. est. c. 12.

Ad quintum, eligi debet vir gravis, competenter doctus, elegans, studiosus, diligens, bene versatus, & morigeratus, cum competenti præbenda, prout sit ubique.

Prax. Episc. Pars II.

MANCIPIA.

Mancipia, Servi, sive Sclavi, ad Senatus Camerae Urbis officium, conservatores pro libertate confugientes, libertatem consequuntur, & Romani cives, liberi que homines efficiuntur. Paul. III. Bul. 2. quæ incipit, Novimus, & Pius V. Bul. 18. quæ incipit, dignum.

MATRIMONIUM.

Primò, Senes regulariter possunt contrahere matrimonium, dummodo possint erigere virgam viriliter in vas mulieris, & ita ut appetitum carnalem ab utraque parte sedare valeat. similiter & spadones, quia non est de essentia matrimonij, ut ex eo habeatur proles, Navar. conf. 2. n. 6. & 15. de frigid. & males. & conf. 4. n. 25. de desp. impub. Senes verò, qui non sunt apti ad prædicta præstanda, non possunt contrahere matrimonium, & contractum potest dirimi, Nav. loc. cit. ex Soto 4. sent. dist. 36. q. 1. ad secundum. sed circa spadones, vide Bul. seu declar. Sixti X. sub datum Romæ die 27. Junij, 1587. pro nuntio Hispaniæ, similiter carens testiculis, modò possit ut supra, potest contrahere, secus verò non, idem loc. cit. n. 11. 16. & 20.

Secundò, dubitabitur, an parochus, cujus præsentia est de necessitate matrimonij, opus sit, ut sic Sacerdos?

Respondetur, quòd non, Nav. conf. 9. num. 2. de clandest. despons. tamen

N aliter